

c. de SS. Eccles. Quin de mobilibus Ecclesiæ Romanæ idem asserit LUGO, styli Romani non ignarus.

2º. *Res immobiles*, siquidem sint *profanæ*, de jure communi cum titulo contra præsentis decennio, contra absentes 20. annis præscribuntur, *L. 12. C. de Præscr. long. temp.*

3º. Ad præscribenda immobilia *Ecclesiæ romanæ* requiruntur anni 100. *Auth. quas actiones cit.* At vero *Ecclesiæ inferioris* Romanæ, aliorumque locorum piorum, cum vel sine titulo non nisi annis 40. *c. 4. et 6. h. t.* Per privilegium vero, teste ENGELIO a R. Pontifice concessum Ordini Cisterciensi in Germania contra ejus bona 100. anni requiruntur, quod communicasse fertur Ordini mendicantibus singulis LEO X. Similiter EUGENIUS IV. Ordini S. Benedicti sexagenariæ præscriptionis concessit privilegium. Forte his privilegiis nihil, nisi usus et praxis deest.

4º. Ad præscribendum *contra civitatem* requiruntur anni 100., *L. 23. C. de SS. Eccles.* Idem est de bonis Principis qua talibus, regalibus, neque enim principatus deterioris esse conditionis debet quam civitas.

5º. *Beneficia Ecclesiastica* juxta reg. 33. Cancellariæ Apostolicæ præscribuntur triennio sub octo conditionibus in regula expressis, 1. si adsit bona fides; hæc enim cum ubique requiratur de jure canonico, hoc ipso regulæ inest tacite. 2. Ut possideatur. 3. Ut, qui possidet, possideat pacifice, h. e. sine lite. 4. Possessio sit continuata per triennium. 5. Ut sit beneficium ecclesiasticum proprie tale. 6. Ut sit possessio cum titulo colorato. 7. Ne ingressus possessor sit simoniace. 8. Ne intrusus. KRIMER.

6º. *Bona vacantia* præscribuntur contra fiscum secularem annis 4., contra Ecclesiam, annis 40., *L. 1. C. h. t.* Bona debita fisco et delicto, annis 5., *L. 2. C. de Vectig. et Commiss.*

7º. *Servitutes personales*, ut usufructus, reales continuæ præscribuntur ut res immobiles quoad tempus, ac probabiliter idem de discontinuis tenent HARPRECHT. STRUV. SCHMIEB. alique contra alios. Favet huic sententiæ, *L. ult. C. de Præscr. long. temp.* qua servitutes, sine distinctione inter continuas et discontinuas, dicuntur præscribi longo tempore.

8º. *Actiones reales* præscriptione extinguuntur ejusdem temporis, quo vel res, mobiles, vel immobiles, aut jus reale in quo fundantur. Actio tamen *hypothecaria*, si hypotheca vel pignus possidetur a debitore, ejusve hærede, non nisi 40. annis a die, quo erat solvendum debitum, extinguitur contra creditorem, *L. 7. C. de Præscr. 30. vel 40.* si vero possidetur ab alio tertio cum titulo, 10. vel 20. annis, sicut res immobiles, *L. 1. 2. C. si advers. Cred. præscr. oppon.* si sine titulo, annis 30. Similiter *petitio hæreditatis directa*, quoniam præstationes personales sibi admixtas habet, annis 30., *L. 7. C. de petit. hæred.* Ac præterea *querela inofficiosi testamenti* ab adita hæreditate finitur annis 5., *L. 4. C. de inoff. Testam.*

9º. *Actiones personales* regulariter de jure communi perimuntur 30. annis, *L. 3. 4. C. de Præscr. 30. vel 40.* Dixi: *Regulariter*: nam *actio redhibitoria*, quæ competit emptori contra venditorem rei vitiosæ, ut, reddito pretio, rem venditam iterum habeat sibi, expirat lapsis 6. mensibus a die, quo emptori innotuit rei emptæ vitium; et *actio quanti minoris* qua emptor excessum pretii repetit a venditore, post annum unum. Porro *actio quod metus causa* contra minorem anno uno durat.

Quo tempore præscribatur immunitas a solvendis censibus, scilicet præstationibus annuis, vel mensuris, paulo majoris momenti est controversia, pro qua sit

ARTICULUS VI.

AN PRÆSTATIONIBUS ANNUIS SIMUL ET SEMEL PRÆSCRIBATUR TRIGINTA ANNORUM LAPSU? AC DEMUM QUID SIT PRÆSCRIPTIONEM CURRERE, DORMIRE, INTERRUPTI?

428. *Præmitto*: Non istud hic in controversiam venit, an spatio 30. annorum acquiri possit jus præscriptione exigendi et accipiendi præstationes ejusmodi ab alio, cum plerisque satis certum sit, quod acquiri possit, eo quod præscriptioni longissimi temporis subdantur jura singula, *L. 3. 4. C. de Præscr. 30. vel 40. ann.* Sic et præstitis per 30. annos servitiis acquiri feudum, patet exemplo 2. *Feud. 26. §. 4.*

Sed istud hic movetur, an præscribi possit 30. annis immunitas a præstationibus annuis tam præteritis, quam futuris? Status quæstionis elucet ex subjecto casu: Obligatus es ex contractu, vel ultima voluntate singulis annis Caio solvere 100., solutionem istam intermisisti per annos 30. complétos, bona fide existimans, te ad nihil solvendum obligatum esse. Inde quæritur, an una præscriptione præscriperis pensionibus omnibus præteritis, et una obligationi eas in futurum præstandi? Vel utrum præscriperis tantum lapsu 30. annorum præstationi tui, faciendæ ante 30. annos, remanente adhuc obligatione ad alias tum post 30. annos adhuc futuras, tum intra illos 30. annos elapsos non solutas, v. g. hic annus præsens est trigesimus, quo bona fide non solvisti, an tenearis solvere pro anno præterito et aliis, eo quod pro harum extinctione nondum habeantur anni completi 30. ad complendam præscriptionem requisiti? Mirum quam præsens controversia inter se collidat Doctores! Et vero, uti frequentis est usus, ita in se ipsa intricata est.

429. *Dico*. Præstationes annuæ tam futuræ quam præteritæ simul et semel, sive præscriptione unica 30. vel 40. annorum extinguuntur. HAU-NOLDUS, de CLINGENSPERG, SCMALZGRUBER, PICHLER, alique contra alios.

Prob. I. ex jure civili. L. 20. C. de usuris. JUSTINIANUS rescribit, spatio 30. vel 40. annorum extingui non tantum sortem, sed etiam usuras annuas, præteritas et futuras, ac simul Imperator fundamentum, ex quo Adversarii dicunt, distinctas actiones singulis annis nasci, ibidem penitus evertit: *Principali enim actione non subsistente satis supervacuum est super usuris, vel fructibus adhuc judicem cognoscere*: unde infero: ergo etiam sicut *juri*, quod ad exigendas præstationes annuas est constitutum, præscribitur 30. vel 40. annis per textum generalem, *L. 3. 4. C. de Præscr. 30. vel 40. ann.* ita, jure hoc ceu principali et radice non amplius subsistente; consequenter præstationibus omnibus præscribitur, non nisi dependenter a tali jure debitis.

Prob. II. ex jure canonico: juxta hoc *c. 4. et 6. de Præscr.* Præscriptione quadragenaria extinguitur obligatio solvendi quartam decimarum Epi-

scopo, et pendendi decimas, quæ haud dubie sunt præstationes annuæ; ergo, cum jure civili non sit aliud dispositum expresse et clare, idem tamen etiam in hoc tenebit *arg. c. 1. de N. O. N.*

Prob. III. Ratione. Jus exigendi præstationes annuas una præscriptione acquiri potest, ut concedunt Adversarii, et recte; quia, licet præstationes annuæ sint materialiter multæ et distinctæ, formaliter tamen pendunt ab uno jure ad singulas ceu radice constituta actu vel conventionem inter vivos, vel ultima voluntate, vel usucapione; ergo etiam obligatio solvendi præstationes annuas unica præscriptione extinguitur cum præstationibus præteritis et futuris, quia præstationes illæ principaliter non debentur singulis annis, et *per se*, sed dependenter a jure et obligatione primitus constitutis; sublato igitur hoc jure, necesse est, tolli præstationes ipsas utpote effectus juris istius et obligationis. Fundamenta adversaria, quo melius penetrentur, una libet serie proponere.

430. *Obj. I. et maxime.* In *L. cum notissimi. 7. §. ult. C. de præscr. 30. vel 40. ann.* clare videtur oppositum statui: *In his etiam promissionibus, vel legatis, vel aliis obligationibus, quæ donationem per singulos annos, vel menses, aut aliquod singulare tempus continent, tempora præscriptionum non ab exordio talis obligationis, sed ab initio cujusque anni, vel mensis, vel alterius singularis temporis computari manifestum est.* Ergo præscriptio talium præstationum a quolibet anno inchoari debet, juxta vocem *cujusvis*; et præstatio quælibet particularem præscriptionem requirit.

II. L. ead. §. eod. Legata annua et præstationes comparantur cum emphyteusi et conductione: atqui emphyteuta et conductor nunquam præscribunt rem emphyteuticam, vel conductam, etsi per 40. vel plures annos eam detineant; ergo neque legatis annuis simul præscribitur, sed singulæ præstationes cujusque anni singulis præscriptionibus tolli debent.

III. Quod nondum est, præscriptione extingui non potest; non entis enim nullæ sunt qualitates, *arg. L. 2. ff. de usufr. L. 116. ff. de V. O. et privatio* supponit habitum: atqui futuræ præstationes nondum sunt, proque iis exigendis nondum nata est actio; ergo nec præscriptione extingui possunt.

IV. Sine possessione non currit ulla præscriptio, *c. 3. de R. I. in 6.* sed debitor non possidet immunitatem a præstandis solutionibus futuris, quia ipsa obligatio solvendi præstationes futuras, contra quam immunitas induci deberet, nondum existit, cum annis singulis nova incipiat obligatio.

V. Obligatio in diem, vel sub conditione non præscribitur, nisi adveniente die, vel existente conditione incipiat usucapio, *L. 7. §. 4. C. de Præscr. 30. vel 40.*: atqui præstationes annuæ sunt obligationes in diem, vel sub conditione, *L. 4. et 11. ff. de ann. legat. L. 140. §. 1. ff. de V. O.*; ergo his non præscribitur, donec veniat annus.

VI. L. 28. ff. quib. mod. usufr. amitt. ait Jurisconsultus: *Si usufructus alternis annis legatur, non potest non utendo amitti; quia plura legata sunt;* ergo sicut plura legata una præscriptione non tolluntur, sic nec plures præstationes annuæ.

R. Ad 1^{am}. N. Cons. quæ immerito ex *cit. L. deducitur*; Imperator enim plus non voluit, quod a quolibet anno, vel mense, quo prima vice præstatio intermittitur, incipiat immunitatis præscriptio, non autem a tempore

vel initio, quo primitus constituta obligatio: huncque sensum ipse innuit Imperator per hæc: *Manifestum est*; non enim manifestum est, quod præscriptio computari debeat ab exordio obligationis, et tot requirantur præscriptiones, quot sunt anni; manifestum contra est ex juribus anterioribus, præscriptionem computari, a tempore, quo prima vice bona fide intermissa solutio, tunc enim primum dici poterat quasi possidere libertatem a jure et obligatione solvendi, et libertatem a præstandis solutionibus in hoc jure et obligatione fundatis, quia jura anteriora clara aliquam possessionem exigunt ad præscriptionem; hæc vero possessio hic tum primum habere locum potuit, quando solvere omisit.

R. Ad 2^{am}. D. min. Nunquam præscribunt, si semper possideant titulo et jure emphyteuseos, vel conductionis *C.* si incipiant possidere titulo habili ad usucapionem *N.* Sensus hujus *§. fin. est*, quod emphyteuta et conductor, qui ad annuum canonem obligantur, licet longissimo tempore non solverint, non tamen ideo usucapiant feudum emphyteuticum, vel conductum, quia hunc non sibi, sed domino proprietario possident: at, si bona fide domino petenti canonem vel mercedem contradicant, sibi que possidere incipiant, eos tunc usucapere clarum est, ex *L. 2. C. de Præscr. 30. vel 40.* Atque ita pariter dicendum de legatis, vel pensionibus quibuscumque annuis.

Ad 3^{am}. R. D. M. Quod nondum est neque in se, neque in alio *C.* quod est saltem in alio *N.* Præstationes annuæ existunt in jure, sicut in contractu censuali, dum emitur census annuus, hic emitur in jure ad illum, in quo existit census æquivalenter, vel, si ita dici velis, moraliter. Dum igitur primum bona fide cessasti solvere, hoc ipso jus immunitatis quasi possidere cæpisti, et extincto tandem præscriptione jure, etiam pensiones vel solutiones annuæ extinguuntur.

Ad 4^{am}. N. min. ex dictis, quia, dum debitor cessat præstationem solvere, et creditor acquiescit, hoc ipso debitor libertatem et immunitatem a præstandis solutionibus quasi possidet.

Ad 5^{am}. R. 1^o. Retorq. in usuris annuis, et decimis juxta dicta superius, quæ retorsio plerumque in aliis Adversariorum argumentis locum habet.

R. 2^o. N. min. etsi enim legata et præstationes constituentur per annos, vel menses, non tamen propterea continuo sunt legata *in diem*, vel *sub conditione*, sed hæc ita constituuntur, ut: Caio post 20. vel 30. annos, lego annuatim dandos ex meo fundo 100. Vel, lego Caio annuatim ex fundo meo dandos 100. si Pamphilum servum manu miserit.

Si dicas: in *L. cit.* Jurisconsultus dicit plura esse legata, et conditionalia ad distinctionem Stipulationis, *L. 16. ff. de V. O. ubi: Stipulatio hujusmodi in annos singulos una est, et incerta et perpetua; non quemadmodum simile legatum morte legatarii finiretur;* sed pluribus legatis non nisi per præscriptiones plures præscribitur.

R. Legata ibi dici plura quoad modum præstandi illa per singulos annos, usque dum moriatur legatarius, cæterum ad omnes præstationes jus unum est. Sed neque legata hic conditionalia dicuntur ex parte sui, sed legatarii, nimirum, *si vivit*, cum ad hæredem non transeant præstationes ex Stipulatione quæsitæ etiam pro hæredibus, *L. 20. ff. quando dies legat.*

Ad 6^{am}. R. N. Cons. Etsi enim et hic dicantur plura legata esse, non ideo recte inferitur, quod una præscriptione tolli talis usufructus non possit;

nam jus nihilominus ad illum unum est, quo una præscriptione sublato et ille cessat. Dicitur igitur eo casu esse plura legata quoad modum, et quo significaretur, solo alterius non usu usumfructum *alternis annis* legatum non amitti; sed requiri ut dominus petenti usumfructum bona fide hunc neget, sicque, accedente acquiescentia usufructuarii, se constituat in quasi possessione libertatis. Alias usumfructum extinguere non usu habetur ex *L. 16. pr. et §. 1. fn. de usufr. et clare, L. 13. C. de Servit. et aq. ubi: Sicut usumfructum, qui non utendo per biennium in soli rebus; per annale autem tempus in mobilibus se moventibus diminuebatur, non passim hujusmodi compendiosum sustinere interitum; sed ei decennii (inter præ-sentes) vel viginti annorum (inter absentes) dedimus spatium; ita et in cæ-teris servitutibus obtinendum esse censuimus.* Quibus Imperator ait, se correxisse jus antiquum quoad tempus solummodo, non quoad præscribendi modum; ergo adhuc ususfructus alias, sicut olim, non utendo amitti potest.

431. Quæritur demum, quid sit præscriptionem currere, dormire, interrumpi?

R. *Currit*, quando adsunt omnia ad præscribendum de jure requisita, bona fides, justus titulus, res non vitiosa, possessio tempore definito continuata, de quibus hactenus egimus.

Dormit, sive quiescit, aut suspenditur, ob impedimentum superveniens, ita, ut impedimento remoto rursus connectatur, hoc est, rursus continetur, illo duntaxat tempore, quo durabat impedimentum, deducto ceu inutili. Sic 1º. dormit respectu *pupilli* tota durante ætate pupillari tam quoad præscriptionem extraordinariam, quam ordinariam; respectu *minoris*, durante minorennitate, sed solum quoad ordinariam; *L. 3. C. de Præscr. 30. vel 40. L. 2. C. quib. non objicit.* 2º. Respectu *filiifamilias*, quoad bona adventitia, quamdiu durat patria potestas; *uxoris* quoad dotem, quam diu maritus vivit et penes hunc est administratio; *Ecclesie*, quanto tempore Rectore caret, vel hic ob censuram non potest agere in judicio; quia generaliter non valenti agere in judicio ob impedimentum juris non currit præscriptio. *c. 4. 45. h. t. Can. 10. Caus. 16. Q. 3. L. 7. C. de Præscr. 30. vel 48. ann.* Adde: *tempore pestis*, dum clausa sunt tribunalia ex ratione eadem.

Interrumpitur, quando ob impedimentum totum tempus præteritum abscinditur. Interrumpi autem potest dupliciter, 1º. *Naturaliter*, quando post præscriptionem inchoatam una ex substantialibus conditionibus deficit, ut: bona fides; velut, si possessor, præscriptione jam inchoata cum bona fide, comperiat primum, quod res aliena sit, vel vitiosa, etc. 2º. *Civiliter*; quando nulla quidem substantialis conditio deficit, sed solum subtilitate juris aliqua deesse fingitur per contestationem litis, ac etiam libelli obligationem, *L. 2. et L. fn. C. de ann. except.* non tamen ob solam citationem, aut denunciationem solum extrajudicalem.

Differunt vero interruptio naturalis et civilis maxime 1º. quod naturalis interrumpat præscriptionem *absolute*, ac respectu adversariorum omnium. Ita plerique in *L. 5. ff. de Usurp. et Usuc.* Civilis vero tantum respectu actoris, sive ejus, qui litem movit, adeo, ut si hic verus dominus non fuerit, atque interea contra dominum verum, qui latet, elapsum sit tempus, præ-

scriptio completa sit. 2º. Naturalis sic interruptit, ut amplius connecti non possit; civiliter vero interrupta tum solum interrupta manet, si contra possessorem secuta est sententia condemnatoria; at si possessor victor fuerit, vel recessum sit a lite pacto, vel transactione, præscriptio pergit, ac si interrupta nunquam fuisset, vel nunquam mota lis. FELIN. in *cap. 8. RATH.* in *c. 5. h. t. LAYM.* aliique.

CAPUT III.

DE MODO ACQUIRENDI JURE CIVILI PER ULTIMAS VOLUNTATES.

Ultima voluntas hoc loco est *gratuita de bonis in tempus mortis dispositio*, sive confirmanda morte disponentis. Dicitur voluntas *ultima* non propterea, quod vel mutari amplius, vel revocari non possit, quoad mortis causa disponentis vivit, est enim *voluntas hæc ambulatoria usque ad vitæ supremum exitum*, ut ait *L. 4. ff. de adim. Legat.* sed, quia per mortem primum disponentis evadit firma et immutabilis. Species ultimæ voluntatis sunt testamentum, codicillus, donatio mortis causa. Ac quoniam in testamentis legata relinquuntur, aut etiam fideicommissa solent, de his post testamenta tractat Imperator in *Inst. a Tit. 10. Libri II.* Ac proinde et nos eo duce isto ordine agemus.

ARTICULUS I.

QUID SIT TESTAMENTUM ET QUOTUPLEX? UNDE FACULTAS TESTANDI ORIGINEM DUCAT?

432. *Præmitto*: Testamenta olim a Romanis condebantur vel pacis tempore in comitiis *calatis*, dum populum ad comitia vocatum rogabat testator, ut, quem designaret, esse hæredem vellet ac juberet. Atque hæc sunt testamenta in comitiis *calatis* facta, quorum Imperator meminit §. 1. *Inst. h. t.* Unde et originem sumpsit, mansitque principium illud, testamenti factionem juris publici esse, *L. 3. ff. qui testam. fac. poss.* Vel in acie, cum essent in itinere prælium; unde dicebantur testamenta *in procinctu*. Utrumque vero testamentum ab usu remotum fuit. Prius quidem *legibus XII. Tab.* quibus amplissima testandi facultas data civibus: *Paterfamilias uti legasset, ita jus esto. L. 120. ff. de V. S.* ac nova testandi ratio inducta per *æs et libram*, sive venditionem imaginariam; constituebatur enim familiæ emptor, cui testator coram quinque testibus, civibus romanis, *antestato et libri pende* familiam, vel hæreditatem venderet. Accessit postea testamentum *Prætorium*; uti enim Prætor sub specie æquitatis non raro mutabat jus civile, sic et dabat bonorum possessionem secundum tabulas, si eas septem testes, non pauciores, signis firmassent. At postea et his testamentis remotis, ex testamento per *æs et libram*, Prætorio, ac Constitutio-